QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 11. Decembris.

NICOLAO RAINSSANT, Doctore Medico, Præſide.

An Sterilitati, Aquæ Nitro-ferratæ potus?

I.

PRÆCIPITI fato cadunt mortalia, felici caſu reparantur eadem, ſuâque in ſobole quodammodò reviviſcunt, perennis juxtâ ac providentis Naturæ beneficio. Hinc innata generandi libido, quam bruta certis perſentiunt temporibus, vere maximè, cum vena novo turget ſanguine: Solus homo omni tempore blandiori conjugis delectatur conſortio (hæc Venus mutua finxit ſolatia) non ſemper tamen ſequitur gratæ voluptatis expectata merces. Sterilis enim ut arbor floribus amœnis & pulchrâ ſubridens fronde vacuum non rarò deluſit colonum: itâ ſæpiculè contigit, fugacem frigente ſinu venerem occuluiſſe: fœcundamque crediderìs maritam, cujus exta larvato immutata morbo generis ſpem adimunt, quæ ſubindè tamen redit aliquandò, externâque revocatur ope, ſeu conceptûs impedimenta removeris, ſeu requiſitam habitudinem conciliaveris. Vis ergò præcluſa ſterilitate viſcera ad conceptum relaxari, ſopitum exſuſcita uteri fermentum, arctiores fibras emolliendo relaxa, laxiores conſtringe; putris humoris tetram illuviem expurga; ſi plus æquo ferveſcat uterus, temperandus ardor, ſi frigeſcat, accerſendus calor. Denique vel menſes ſine lege fluentes ſiſtendo, vel accelerando lentiores, conceptum utique adjuvabis.

II.

HOMINIS primordia qui repetit ab Ovo, joci magis eſt quam veritatis amans: nempè lepida foret ejuſmodi incubatio: apage ergò muliebrium Ovorum ſcrutatores: ſeriùs expendendum, quæ noſtra ſit origo, & quam mira efficiat ſeminis utriûſque permixti vivida vis. Liquor ille niveus ab arterioſi ſanguinis ſulphurea maximè ſalſuginoſaque parte deciduus, ubi ad teſtes uſque per mille mœandros facilem ſibi viam fecit, loci impatiens petulanti erumpit ſaltu, atque inter jucunda naturæ vireta refunditur. Nec putes, quæ quorumdam obſervatio fuit, non alioqui diligentiſſima, ſemen intra membranarum interiorum poros abſorberi, aut foras

idem ſenſim diſfluere. Non priùs enim in uteri cavitatem fibrarum ope undequâque contracti exceptum eſt, quam ſpiritus ejuſdem vivificus blando calore fotus, uterino etiam adjutus fermento nec depreſſo nimis nec nimis elato, primam corporis fabricam aggreditur. Tum verò cerneres, ut particulæ ſeminis virilis tenuiores, abſque ſanguinis menſtrui concursû muliebris ſeminis minimos ſubeant poros, quarum aliæ ſubtiliores puta, penitiùs concentrantur exiguâque comprehenduntur bullâ, quæ totius eſt formationis rudimentum; aliæ paulo quidem craſſiores circumfuſæ, exteriores efformant membranas. Illo ſanè apparatu nihil mirabilius, at nihil arduum magis ut vel à re minima impediatur opus. Sit licet hymæneo aptum ſeminium, impuris tamen commiſtum uteri ſuccis corrumpetur facilè: obruetur nimio ſanguinis affluxu: præfervidiori æſtu torrebitur, vitio tandem fibrarum vel oſtii conſtrictione ipſi denegabitur aditus, vel oris lubrici laxitate nimiâ mox eliminabitur.

III.

SOLE & homine homo, ſole & ſale generantur mineralia. Atque ut idem uterus muliebris, ſexu, temperamento, magnitudine, figurâ diverſos alit paritque homines; ſic terræ penetralibus (mineralium metallorumque utero) abſtruſa latent argentum, ferrum, nitrum atque alia hujuſcemodi: quæ quidem ſpeciei diverſæ ac naturæ fiunt ex mutuo varioque ſalis omnigeni, aliorumque principiorum congreſſu, præter certum in terræ viſcera ſolis influxum, quem primariam agnoſcunt ſui cauſam. A tali minerarum diſcrepantia, quæ iis in locis emicant aquæ, varias trahunt vires, variaque ſortiuntur nomina: aliis enim terra præſtat quidquid valent; vim ſuam depromunt quædam à ſuccis congelatis, illæ metallis, hæ mineralibus, ſimul & metallis debent quidquid virtutis habent. Earum omnium unaquæque dotes eximias obtinet, à nonnullis equidem parvi-faciendas, vel quòd ipſas ignorent, vel quòd parandi difficultate non ſint pretioſum medicamentum, aut hominum opinione carum; harum tamen Lympharum, Nitro-ferratarum maximè jam paſſim ſcaturientium uſus magno fuit pleriſque commodo. Teſtes ſunt Nitro-ſulphureæ Borbonenſes aquæ, teſtes Nitro-ferreatæ ſed vitrioli participes Spadenſes fontes quatuor, teſtes itidem Nitro-ferratæ Dinannenſes Aremoricæ, quarum omnium quotidiana in ſanando prodigia, ad veterum aquarum prope accedunt. Ecquis vero affectus his in aquis ſuam non inveniat medicinam? Illuc eant fœminæ quibus Lucina noverca prolem negavit, ibi ſanè vindicabuntur ἁ στείρωσι apud antiquos adeò probroſâ, ut ſæpiùs an-

cillam concederet nupta marito: ibi earum viſcera prudentis conſideratique medici arbitriô ritè apparata expedientur inſa ctubus, uteri colluvies expurgabitur, non fluentes menſes, quorum periodicus motus, non à Lunæ imperio, minûs à Plethorâ, quaſi poſtliminiô revocabuntur, cæteraque conceptui minûs benè accommodata ritè componentur.

I V.

AQUARUM mineralium vires qui à formâ quâdam ſubſtantiali deducit, is à veritate aberrat magis, quam qui principiorum combinationi, motui, figuræ eaſdem aſcribit: quâ proindè incidendi, aperiendique virtute ferrum ac nitrum pollent, eam ſui ſalis aculeis debent. Hujus porrò compages tota ex ſpiritibus acidis terræ ſales penetrantibus, illiûs ex ſalis vitriolici, ſulphuris, terræque imperfectâ unione conſtat: at verò, ut aquæ vim ſuam catharticam impertiunt medicamenta, quæ quidem nec electione, nec ſubſtantiæ ſimilitudine, ſed irritatione pravos è corpore ſuccos educunt, ſic quam ſibi vendicant agendi virtutem ferrum & nitrum, eamdem aquæ in quâ ſal eorum fuſum eſt, ultrò elargiuntur, quâ præcipuâ dote cæteris aquarum ſimplicium longè antecellunt, earum licet alueus arenoſus ad orientem placidè decurrat, aut ipſæ procelloſo Cælo & tonante Jove pluant: Hæ nempè, etſi humectent, vaſa difficillimè aut lento pede ſubeunt, nec valent quicquam protrudere è corpore, quin immò ſi liberaliùs epotentur, ventrem in tumorem attollunt, viſceraque vix ſuperandis obſtructionibus coanguſtant. At non ſatis laudandæ, ſi in tranſcurſu ferri mineram aut nitrum lingant, quorum ſalis, in aquâ ſpontè fuſilis, opê, tanta earum eſt in permeando celeritas ac virtus, ut & vix epotæ ſtatim ferè mingantur & breviſſimâ morâ omnes corporis partes pervâdendo ſuis liberent impedimentis. Itâ etiam fiet, ut areſcens uterus temperetur, ſopiti excitentur ignes, tarda cieantur catamenia, & ſordes in angi portu uteri ſtagnantes certis in poſterùm temporibus excernantur. Nam ſalibus illis fermenti æmulis occluſa reſerantur vaſa, denſaque rarefit moles. Quid multa? Hinc purior circuiturus ſanguis faciem colore eleganti ſuffundet, oculos vividiori accendet lumine, tutumque liberabit corpus ab innumeris quæ extincta pœnè fœcunditas infert ſymptomatis, ipſam demûm anheloſam animam priſtinâ ſerenitate recreabit.

V.

AQUIS nitro imprægnatis virtutem præ cæteris ineſſe fæcundam adeo certum eſt ut hâc maximè de causâ aqua Nilotica fertili exuberans nitrô potantium mulierum viſcera ab infelici li-

beret ſterilitate, & viridem Ægyptum ſalsâ fœcundet arenâ. Hâc pariter dote præedita nix, quibus aliquantulum ſubſidit terris, benefacit. Quid autem aliud nitrum, quam ſal, à quo vis ipſiûs tota? & verò à ſale principiorum compactiſſimo naturæ effectus fermè quivis reconditiſſimi, fertilitas imprimis, dependent. Nonnè etenim qui mari adjacent agri, præ reliquis uberiori grataque luxuriant ſegete? Nonne Eliſæus jericonis fontem ſale fœcundavit? cur ergò Nitro-ferratæ aquæ hâcce carebunt prærogativâ, cùm vis earum tota à Nitri-ferrique ſale, quò facillimè impræegnantur: quod quidem ſal ſive humorem expurget noxium, ſive laudabilem neceſſariumque nimiûm fluentem arceat ſuccum, non minori tamen fœcundandi virtute gaudebit. Non unica quippè, imo plures ac ſæpiùs oppoſitæ ſunt ſterilitatis cauſæ, quas, ullâ vix exceptâ, ſal tollit variâ videlicet agendi ratione: ad hoc intelligas non eſſe ſal naturæ ubique homogeneæ, quin eſſe ſæpiùs à ſe ipſo diſpar tùm motu, tùm figurâ, in quibus ſumma ejus differentia. Aliquandò etenim materia ipſa quam ſubit figuram ipſiûs immutat, aliquandò etiam motum interturbat rei alteriûs permixtio. Ne mireris ergò, ſi modò concitatiùs refrænent, ſegnius pigriûſque modò excitent ſanguinis menſtrui effluvium Lymphæ Minerales, ſi aliàs aridam partem blando perfundant rore, præhumidiorem aliàs exſiccent firmentque; diverſæ quippè partium diſpoſitionis ratione, diverſi quin & oppoſiti eduntur effectus. Tutiùs igitûr rem ſuam gerent mulieres infœcundæ, ſi repurgato ritéque apparato corpore has aquas epotaverint, quarum efficacitate ſingulari uteri intemperies delebitur, partes generationi inſervientes ſuis liberabuntur obſtructionibus, & ipſæ poſt celebratum cum ſucci pleno marito hymæneum, illinc ſinu gravido mirè recreatæ recedent.

Ergo Sterilitati Aquæ Nitro-ferratæ potus.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Mathæus Thuillier.	*M. Antonius le Moine.*	*M. Ioan. Armandus de Mauvilain.*
M. Ioannes-Baptiſta Ferrand.	*M. Guydo-Creſcentius Fagon, Francorum Reginæ Medicus primarius.*	*M. Bertinus Dieuxivoye.*
M. Carolus Marteau.	*M. Iacobus de Bourges.*	*M. Stephanus Bachot.*

Aſſerebat Pariſiis RODOLPHUS OREN, Dinnannenſis Aremoricus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1681.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.